

bus, cum Xerxes abesset, regni procuratio erat demandata, prologum recitavit, cuius primum versum Glaucus Reginus³⁾ memoriae mandavit:

»Τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων«.

Chorum autem constituit poeta ex Phoenissis mulieribus, quarum mariti Persarum classi attributi contra Graecos profecti erant.⁴⁾ Quare cum Phrynichus Persarum cladem statim in initio dramatis enarrasset neque locum reliquisset actioni, tragoediae argumentum in solis lamentationibus et carminibus lugubribus positum fuisse apparet. Dulcedine autem suavitateque carminum politissima arte perfectorum maxime insignem fuisse Phrynichum omnes auctores consentiunt.⁵⁾ Quam Phrynichi tragoediam Aeschylum, cum Persas scriberet, imitatum esse Glaucus Reginus memoriae prodidit in libro qui fuit *περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν*.⁶⁾ Et id quidem Aeschylus ipse apud Aristophanem praedicat, se carmina a Phrynicho confecta imitanda sibi proposuisse eaque formosiora reddidisse, quod quodammodo ad Persarum v. v. 126 — 139; 256 — 290 referendum esse coniectura assequi licet.⁷⁾ Sed cum actio a Phrynicho instituta esset simplicissima atque res ab uno

3) cf. Argumentum Persarum in cod. M. traditum.

4) Aeschyl. Pers. v. 418. v. 889.

5) Arist. Vesp. 219 μέλη ἀρχαιομελισιδωνοφρυνιχήρατα, quibus verbis significat poeta Phrynichi carmina in Phoenissis expressa. Φρύνιχος δὲ ἐγένετο τραγωδίας ποιητής, ὃς ἔγραψε δρᾶμα Φοινίσσας, ἐν ᾧ μέμνηται Σιδωνίων. τὰ δὲ μέλη εἶπε διὰ τὴν γλυκύτητα τοῦ ποιητοῦ. Ἄλλως. ὅτι δι' ὀνόματος ἦν καθόλου μὲν ὁ Φρύνιχος ἐπὶ μελοποιῖα, μάλιστα δὲ τὸ ἐκ τῶν Φοινισσῶν αὐτοῦ τὸ »καὶ Σιδῶνος προλιπόντα ναόν« ἢ »Σιδώνιον ἄστρῳ λιπόντες«. — schol. — Av. 750 ἐνθεν, ὡς περ ἡ μέλιττα, Φρύνιχος ἀμβροσίων μελέων ἀπεβόσκετο καρπὸν, αἰεὶ φέρων γλυκεῖαν ᾠδὴν et schol. ad hunc locum. — Ran. 940 (910). 1334 (1299).

6) cf. Plut. de mus. pag. 1132 E. — Argum. Pers. — Müller. hist. Graec. min. II, 23.

7) Ran. 1325. sequ. (1298) ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν ἐς τὸ καλὸν ἐκ τοῦ χαλοῦ — ἤνεγκον αὐτῷ, ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ — λειμῶνα Μουσῶν ἐρὸν ὀφθείην δρέπων et schol. ad h. l. —